112 533



QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM

Die Iovis 10. Februarij.

M. ROBERTO RAOVLT, Doctore Medico, Præside.

Est-ne imperfectus qui Astrologiam ignorat Medicus?

I.

NON una est ætas inventarum ad hominis utilitatem artium; nec unius ætatis ea perfectio, quæ artibus paulatim accessit. Hæ, veluti naturæ simiæ, jam eam primâ sui origine imitabantur, & à levioribus rudimentis sensim sine sensu ad umbilicum experientiæ & rationis ductu pervenerunt. Atque licèt Medicina artes omnes nobilitate longè antecederet, ac principatu; hanc tamen cæteris, non secùs ac Principem subditis, æquavit nascendi conditio. Erat olim paucarum herbarum scientia, quæ rudis ferè & iners, aut sistendo qui flueret sanguine, aut vulnere obligando nequidem balbutiebat. Verùm assiduâ humanæ infirmitatis curâ, & variorum præsidiorum usu crevit ad concinnam, suisque omnibus partibus absolutam artis constitutionem. Caveto deinceps ne, quemadmodum Rempublicam plurimæ leges, sic divinam artem infamare videatur præceptorum multitudo. Vana & superstitiosa finxerunt, qui Planetarum nomina, ceu numina, neglecto sapientiæ cultu venerantur. Cum eô potiùs omnis Medici ratio esset referenda, ut is certam haberet perspectamque non modò sanitatis, cui uni studet, notitiam; verùm & hominis quem curare, & instrumentorum quibus uti debet ad ejus tuendam, aut restituendam valetudinem. Neque profectò longiùs excurrit tanto labore conquisita reliquarum artium, Medicinæque perfectio, solâ nimirum finis, subjecti, ac

mediorum cognitione metienda. Qui eam animo complectitur, prudenterque in usum adhibet; is licèt astrorum vias ignoret, cœtus, ac discessiones; perfectus tamen habebitur medendi artifex, tam Medici Senatus, quàm ipsius veritatis judicio.

I I.

QVISQVIS Hippocrate delicatior veterinariam Medecinæ partem dedecori ducit & injuriæ, hominis studium in se de Mulomedicinæ contemptu accendat. Statim intelliget Medicorum consilia aspirare ad sanitatem, in omnium animi, & corporis functionum integritate positam. Servari solet elementorum, humorumque quibus constamus congruenti moderatione; violatur excessu. Nemo itaque sapiens de Iovis, aut Veneris stellâ cum Lunâ conjunctâ cuiquam nascendo gratulabitur: sed de legitimâ sanguinis calidi, frigidi, humidi, sicci temperie, ad hominis munera strenuè, & alacriter obeunda. Hæc tantô fœliciùs præstabit, qui bene est à naturâ temperatus, quantô perfectior illi contigerit singularum corporis partium delineatio, delicatiorque earumdem sibi invicem cohærentium unio. Atque ut omnem conditionis humanæ cognitionem capiat Medicinæ studiosus: attendet quo humore alitur & perfunditur unaquæque pars corporis; qua facultate, quo spiritu, quôve gubernatur caloris nativi imperio: quibus denique usibus destinatur, & officiis. Id verò studij genus non aliâ ratiocinatione magis perficitur, quàm sedulâ rei Anatomicæ inspectione: in qua quidquid novum audit, non idcirco novitatis odio statim plectendum: erit forsan naturæ coævum. Næ! incredibilis potiùs quædam esset novitas, si nemo unquam ægrotaret. Erit igitur diligenter expendendum, quantum à naturæ legibus deflectunt morbi, vitiatâ, in quâ unâ nitebatur hominis salus, temperie partium, conformatione, & unione: eorum causæ, non cælestes, sed internæ ponderabuntur; ingruentiaque humorum, non siderum malignitate symptomata; ut, si affulget non è signifero orbe, sed ab ægrotantis statu petitum indicationis sidus, plures ex armamentario medico depromantur machinæ; quibus labefactata humorum partiumque temperatio emendabitur, structura resarcietur, renovabitur unio: ac teterrimæ corporum, & plerumque animorum ægritudines, vel invito cœlo expugnabuntur.

I I I.

ASTROLOGIAM ab Astronomiâ distinxerunt, qui siderali scientiæ navant operam. Hæc, ne Medico quidem indigna, de astrorum motu, numero, & mensurâ tam certò differit: quàm illa negotiosé nihil agit, dum vehementiùs extollit miras in nos siderum, cœlique vires, seu ad optimum corporis, animique robur, seu ad certas Medicinæ faciendæ leges. Verùm apage genus illud Æruscatorum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod hominum vitæ, immo & fortunæ, omne ab astris beneficium pollicetur, vel minatur exitium. Nec

utinam plura insaniendi præcepta peperisset, quàm medendi! Cœlestes illi orbes in quos suspicimus loco, motu, luce, ac figurâ diversos, quatenus unius ejusdemque sunt naturæ participes, communi officio publicam gerunt totius mundi, nedum unius hominis curam: quâ spoliari nunquam salvâ sua majestate possunt, ut unguibus resecandis, tondendisque capillis præessent, aut purgandæ vitiosorum humorum cloacæ. Ita-ne perfectus Medicus Cœlum ipsum stultitiâ petet? quod perfectissimum cùm sit omnium corporum, luce fulget sensilium qualitatum perfectissimâ; cum supremum, summâ valet movendi potestate. Vnde ad communem salutem certatim conspirant cœli siderumque motus, & lux eminenti quadam prærogativâ rerum omnium virtutes complectens: ut alter longè latèque diffundat ex alterâ profectum calorem penè vitalem: cujus vigente commercio mirum in modum recreantur omnia, cessante intereunt. Neque eam ob rem innata unicuique rei vis agendi, & facultas cœlo astrisque referetur accepta, sed potiùs singulari ejus naturæ & internæ ex elementis constitutioni. Cur enim sub quovis stellarum statu gleba descenderet, ascenderet flamma? cur leo ex leone, homo ex homine gigneretur? Et Sol astrorum princeps, ac cœlestium omnium Epitome neutrum unquam nisi ex proprio semine procrearet, cujus temperies ad fœcunditatem multò magis pertinebit, quam ulla cœli facies? Adeo necesse erit Medico rerum effectus dignoscere proximarum causarum, & qualitatum interventu; ut nimiùm curiosa cœli cognitio non modò inutilis videatur, sed etiam illius perfectioni nocitura, qui hominis naturam intelligere vult; & remediorum, sanitatisque modum tenere; quò tandem spectant omnia saluberrimæ artis momenta.

I V.

MEDICVS Astronomiæ peritus observare potest vario Lunæ circuitu res mutari, annuâ Solis conversione variari tempestates, & nonnullorum astrorum exortu vel occasu anteverti, denotari, claudi: necdum bonæ menti decoxerit, quin priùs celebret inaudita aut odiosa veteribus Philosophis Astrologiæ mysteria: quibus initiati ferè desipiunt. Vt enim quidam olim καὶ κοι Deum alium esse boni, alium mali autorem deffendebant, sic illi Planetam, è cujus variâ cum zodiaci signis, cæterisque stellis conjunctione, oppositione, triangulis, quadratis pendere volunt diversam hominum vitæ. & valetudinis rationem: nec non aliam atque aliam fingi variâ cœli affectione; in quo plurimas stellis quasi diutiùs errantibus domos ædificant, ut Solem, qui vita est, & cor mundi, in eadem domo cum morte extinctum dormire quis credat? Hæc scilicet opinio experientiæ & rationi adversa, solo nocendi artium fundo concepta vix suo fautori constabit, cui varia sunt, aut ignota Cœli systemata: & pro præcepto liquet plures esse stellas quàm vulgò dicuntur, pluresque hodie videri quàm olim. Vnde vix scirent Astrologi, quid forma Cœli suis astrorum globis ornata conferret ad

hominis temperiem, conformationemque partium gerendis animi & corporis muneribus tantopere neceſſariam. Gignit quidem cum elementis primas qualitates; pruinas, ventos, nubes ex diſparili aſpiratione terrarum, aut ſi mavis cum ſingulis rebus omnia; ſed ſuopte ingenio nequidem morbum. Si quid in eo portentoſum enaſcitur, id Cœlo monſtris jam pleno tribuere, nec aëri aut humori ſpurciſſimo; hominum eſt fabulas fabulis tam ſtultè accumulantium quam qui naturam faceret monſtrorum parentem, aut è zodiaci figuris Geminos ſuperioribus artubus regendis præponeret, & inferioribus Piſces vel Aquarium. Turpius ne dictu an inſulſius quod ſiderales Myſtagogi vel cælibis capiti præfigunt Arietis cornua? Scorti pudenda virginis curæ committunt? Quorſum præterea novos comminiſci menſes ad Criſium ſortem, cui promovendæ quovis morbi die, non minùs quàm optimæ ſanitati ſufficit caloris nativi humorumque indoles. Mitior de Tyranno principem faciet, ferocior de principe Tyrannum. Eſt ubi Saturni tarditatem accelerat, furores Martis, Veneriſque libidinem coërcet. Eſt ubi lenem Iovis animum exaſperat, deſultoriumque fixit Mercurium. Alius meditatione & exercitatione, alius arte, & Medicinâ aſtrorum invidiam ſuperavit. Quippe inſtituendis hominum moribus & curandâ valetudine doctrinæ ſtudium, ſituſque terrarum Lunæ tractu potior, Hippacum denique Cœlo multum antecellit. Afficit enim corpus, ſuiſque qualitatibus immutat. Contrà verò ſi ab ambientis aëris, rerumque temperatione ſiderum vires dividis, nec purgationi adverſabitur Canis; nec Arcturus Autumnum diſtinctiùs denotabit, quàm decidua ex arboribus folia.

V.

ITAQVE ſi vis medendo decipi, habeto ſideribus fidem; ego tibi nullam habebo, licèt aliquam nautis, & agricolis ex nube, vento futuras temporum calamitates prænunciantibus. Qui morbos ex aſtris prædicit, vel felices infeliceſque eorum exitus, ac molliora medendi tempora; is ignarum ſe profitetur viæ quâ Aſclepiadæ ad præcipuam artis laudem contendebant. Ægritudinem enim virium robori collatis ſignis componebant, antequam decernerent an cita mors, an victoria læta maneret ægrotantem. Si verò morbus furit, accenſo per univerſum corpus ſanguinis, & ſpirituum incendio; num ad id reſtinguendum pluvia è Cœlo invitabitur? quin potiùs ut inflammatis ædibus ejectâ quæ flagrabat materie; ſic ardenti corpori ſuccurritur largâ flammati ſanguinis miſſione. Tanto præſidio nulla non favet Cœli deſcriptio, modò vires ferendo ſint pares, reſpondeatque morbi vis, & vaſorum plenitudo. An quia Luna quadrato aut oppoſito aſpectu Solem intuetur? An quia non cum Iove congreditur aut Venere, ſanguini parcendum erit, qui mox unico ictu animæ arcem, vitæque propugnacula elidet? Aëris nec Cœli varietate fit ut alia Tuſculi, alia Romæ ſæpe eo-

dem tempore eveniat tempestas, sic dispar hominibus eodem die, eodemque in loco, corporis valetudo ex mutatâ humorum temperie uni secunda, alteri adversa; nec utrumque pari curâ excipit Medicus. Hunc algido Cœlo torpentem placidiori tuetur foco; illum nephretico dolore cruciatum balnei solatio lenit. Dic quibus in terris, & eris mihi alter Medicinæ inventor, membrum sua sede motum viribus astrorum reponitur, grave aliquod vulnus sanatur absque medicâ manu! Quid? Si Gallica hyems non pleuritidis, peripneumoniæ, ventrisque ardorem minuit, immo plerumque auget, refrigerantium usu interdicetur ægris quia frigent sidera, vel cælestes pecudes reclamant? Ac demum si humor morbi parens assiduis naturæ curis mituit purgantium medicamentorum stimulis foras è corpore abigendus; quid opus Lunæ potiùs quàm Sennæ nuncupare vota? vel Saturni Martisve cum aliô Planetâ conjunctione à purgandi proposito deterreri! Quasi verò ad catharsim lotium potiùs non inspiceretur quàm astrum. Videlicet quemadmodum alio atque alio Cœli curvamine hominum corpora quotidiano alimentorum usu reficiuntur: sic à morbo liberantur ope remediorum, non consultis sideribus, à Medico prudenter adhibitorum.

Non igitur imperfectus qui Astrologiam ignorat Medicus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Antonius le Moine.	*M. Petrus Legier.*	*M. Franciscus le Vignon, Scholarum Censor.*
M. Guido Cresc. Fagon.	*M. Nicolaus Robin.*	*M. Petrus Legier.*
M. Iacobus de Bourges.	*M. Franc. Sorand.*	*M. Claudius Germain, Reginæ Poloniæ Medicus ordinarius.*

Proponebat Lutetiæ CLAUDIUS BERGER, Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LXVII.

Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illustriss. Archiepiscopi Paris. Typographi.